Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35407
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

tribulationum que circumdederunt me.
a pressura flamme. et que circumdedit me. et
in medio ignis non sum estuatus. de al
titudine ventris inferi. et a lingua coin
quinata. et a verbo mendacii. a rege iniquo
et lingua iniusta. Laudabit usque ad mor
tem anima mea dominum. et vita mea appro
pinquans erat in inferno deorsum. Circum
dederunt me undique et non erat qui adiu
varet. Respiciens eram ad adiutorium
hominum. et non erat. Memoratus sum
misericordie tue domine. et cooperationis tue.
que a seculo est. quoniam eruis sustinentes
te et liberas eos de manibus gentium. Exalta
sti super terram habitationem meam. et pro morte
defluenti deprecatus sum. Invocavi dominum
patrem domini mei. ut non derelinquat
me in die tribulationis mee. et in tempore
superborum sine adiutorio. Laudabo nomen
tuum assidue. et collaudabo illud in con
fessione. et exaudita est oratio mea. Libera
sti me de perditione. et eripuisti me de tempore
iniquo. Propterea confitebor et laudem di
cam tibi. et benedicam nomen domini tum
adhuc iunior sum. Priusquam oberrarem
quesivi sapientiam palam in oratione
mea. Ante tempus postulabam pro illa. et
usque in novissimis inquiram eam. et flore
bit tamquam precox uva. Letatum est cor
meum in ea. ambulavit pes meus iter
rectum a iuventute mea. investigabam eam.
inclinavi modice aurem meam. et excepi
illam. Multam inveni in me sapientiam.
et multum profeci in ea. Danti michi sapi
entiam dabo gloriam. Consiliatus sum
enim ut facerem illam. Zelatus sum bo
num et non confundar. Colluctata est ani
ma mea in illa. et in faciendo eam confirmatus
sum. Manus meas extendi in altum. et in
insipientiam eius luxit anima mea.
Animam meam direxi ad illam. et in ag
nitione inveni eam. Possedi cum ipsis
cor ab initio. propter hoc non derelinquar.

Venter meus conturbatus est queren
do illam. propterea possidebo bonam
possessionem. Dedit enim michi do
minus linguam mercedem meam.
et in ipsa laudabo eum. Appropiate ad
me indocti. et congregate vos in domum
discipline. Quid adhuc retardatis?
Et quid dicitis in his? Anime vestre
sitiunt vehementer. Aperui os meum
et locutus sum. Comparate vobis sine ar
gento sapientiam. et collum vestrum subi
cite iugo eius. et suscipiat anima vestra di
sciplinam. In proximo est enim inveni
re eam. Videte oculis vestris quia modicum
laboravi. et inveni michi multam requi
em. Assumite disciplinam in multo nu
mero argenti et copiosum aurum pos
sidete in ea. Letetur anima vestra in misericordia eius
et non confundemini in laude ipsius.
Operamini opus vestrum ante tempus.
et dabit vobis mercedem vestram in tempo
re in tempore suo. Oratio salemonis.
Et inclinavit salemon genua sua
in conspectu totius ecclesie israel. et
aperuit manus suas ad celum et dixit.
Domine deus israel. non est tibi similis deus
in celo sursum. neque in terra deorsum.
qui custodis testamentum tuum et mi
sericordiam pueris tuis euntibus in conspec
tu tuo. in toto corde. servasti puero tuo
david que locutus es ei. Et locutus es
in ore tuo et in manu tua implesti sicut
dies iste. Et nunc domine deus israel custo
di puero tuo david patri meo que locutus
es. dicens. Non deerit tibi vir a facie
mea. sedens in throno israel. Verumtamen
si custodierint filii tui legem meam.
ut in preceptis meis ambulent. sicut
ambulaverunt in conspectu meo fideles.
Et nunc domine deus israel creditum est verbum
quod locutus es puero tuo david. quoniam si
vere habitavit cum hominibus deus in
terra. si celum celi non sufficiunt tibi.